

Bibliothèque numérique

medic@

**Dumangin, Jean-Baptiste-Eugénie -
candidat / Jeanroy, Nicolas -
président. - An quamdiù serpit
Gangraena, etiàm à causis externis,
amputatio non tentanda ?**

1768.

**Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facult. Medic.
Typographi
Cote : ms 2336 n°34**



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax15x0034](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax15x0034)

206 34
DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,

manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ mensis
Februarii, anno Domini M. DCC. LXVIII.

*M. NICOLAO JEANROY, Regii Medicorum Collegii Nanceïanorum, Socio
honorario & Chirurgiæ Gallico idiomate Professore, Doctore Medico Præside.

An quamdiù serpit Gangræna, etiâ à causis externis, amputatio non tentanda?

I.



ITÆ summa brevis quot pater insultibus! Quot mala undique præludunt funeri! Inter ea, non sævius ullum quàm Gangræna, quæ post exquisitos cruciatus, partem ex rubro in pallidum, & è pallido in lividum colorem conversam, flaccidam, sensu prorsus destitutam, jamque fortentem abscindere cogit. Tristè quidem remedium: Sed quid non patitur amor vitæ? Unica spes miseris, fontem pro salute totius corporis partem devovere. Saltèm, si prosperè succederet semper tam miserandum auxilium. Sæpius enim præmaturè instituta Amputatio, Chirurgis malè cessit plurimis. Hinc artem, potiùs quam suam imprudentiam inculcantes, tot infaustarum operationum causis non ritè perpensis, scalpellum ferramque projicere voluerunt *: Dùm interdùm quidam sub felicioribus auspiciis easdem operationes quandòque mirabili successu exercentes, renuentes animos de novo excitârunt. Nec mirum: Illi laudabili quidem, sed parùm consulto, sanandi desiderio delusi, cohibere serpentem Gangrænam incassum sperabant. Non profectò feliciores qui partem corpori necessariam, à morboque sapius non lacessendam, solo viciniæ titulo plusquàm prudenti severitate secuerunt. Soli felices, etli non prævisâ tam prosperâ fortunâ, qui, limitibus malo à naturâ jam circumscriptionis, operationem instituere. Adeò verum est in omnibus prosperè succedere Medicinam, quoties monstrantis viam Naturæ vestigiis insistit, aut fida comes illius motus observat & oblatas indicationes adimplet. Gangræna, quam mortem partis non malè dixeris, sub duplici respectu considerari debet: Vel ut incipiens, & eam cum Galeno definire juvat, (præsertim quæ à causis externis oritur,) mortificationem non quidem facit, sed quæ fit, ob magnitudinem inflammationis; vel cum eòjâ processit ut pars corruptione extincta & emortua sit, vitâ superstite in reliquis, tunc sphacelus audit. Sua in unoquoque gradu medela; Extremum remedium Amputatio. Sed ad secandum raro & inviti, deveniamus: nec unquàm, si alia supersit adhuc Medicina.

II.

HORREND A & carnificina foret illa Medicina, quæ ex causis & effectibus morbi exitum non dijudicans, auxilium, prout promptius licet anceps, in ferro & sanguinis profluvio haberet; dum è contrâ ex eodem retardato detur spes certior salutis. Medici non solum est considerare, quid ferat Natura, ut onus sublevare tenter; sed etiâ quid ferre recusset, ne eam in operationibus suis perturbet, aut intempestivè deferat. Quamvis sola quandoque sui ipsa medicatrix, sæpius tamen vi morbi opprimeretur, nili auxiliatricem

*Th. Auct. an. 1762.

*Sharp. Recherches critiques sur la Chirurgie, chap. 17.

manum afferret. Medicus Hoc probant plures observationes, in quibus linea suppuratoria sponte in ambitu partis sphacelo corruptæ enata, mortuum à vivo separavit; tardè quidem: Citiùs enim & certius arte promoveri potuisset. Sapius autem male successisse amputationem probant recentiorum & veterum Historiæ, contraria eorundem circa locum sectionis opinio, necnon quotidiana experientia. Hippocrates, Galenus & omnes veteres ad Hildani usque tempora, in parte mortuâ urendum vel secandum esse contendebant. Celsus, & post eum omnes Recentiores proximè ad partem mortuam instituendam esse amputationem proclamant: Et inter eos Scultetus primus gloriatur, se manum sphacelo tentatam, in radii & cubiti capitibus sanis, cum prospero eventu, amputare ausum fuisse. Scientiarum & arrium incrementis semper obstitit præjudicata opinio. In omnibus morbis faustorum & infaustorum diversa ratio expetenda est à causis & earum effectibus: Ex iis solis recta potest institui medendi methodus. Gangræna est humida vel sicca; utriusque speciei causæ innumeræ dividuntur in internas & externas. Hæ, circa quas potissimum versatur nostra propositio, corporum externorum injuriam agnoscunt. Inter eas præcipuæ sunt, percussiones, collisiones, vulnera, graviora nervorum, tendinum, vasorum, membranarum, læsiones, ossium fracturæ, fissuræ, luxationes, compressiones, frigus ingens, &c. Internæ verò prævæ humorum diathesi, eorundem acrimoniæ, circuitui sanguinis abolito, uti in provectâ Senectute, &c. adscribuntur. Levissima circa has causas consideratio superabundè probabit, non scalpello, ferrâ, vel ligne, inflammationem longè ulterius sæpè progressam sedari posse, vel & ipsa Gangrænæ semina penitus destrui: nec operatione etiâ ritè administratâ tolli posse, causam internam morbi, dilucidè & citrà omnem objectionem probaverunt celeberrimi hujusce Scholæ Magistri. * Quid tandem? Unum sibi proponit Medicina, partem scilicet mortuam à vivâ rescare, ut reliquis liceat securum vivere membris. Quem finem si non attingat, operatio erit infausta, ad minimum inutilis, sed sæpè exitiali & semper atrocissimo dolore lugenda. Extra temeritatis aleam ponet operantem linea suppuratoria in ambitu partis sphacelo correptæ exorta; haud secus ac cælestis arcus procellâ jactatâ navi affulgens, periculi finem portendit, & finit vela dari melioribus auspiciis.

* MM. Joannes Belfr., Bernardus Jusfieu, &c.

III.

SANGUIS intrâ sua vasa contentus, coactus, diutius asservatus, fermentatione quâdam ad dissolutionem corruptivam vergit. Eundem extrâ vasa effusum, stagnantem, rupto circulationis filo, nullo alioquin antea existente humorum vitio, unâ cum vasis omnis generis in putridum liquamen abire nôrunt omnes. Cunctæ igitur partes in quibus coactus, stagnans marcescet, eodem malo infici poterunt, & eò certius quò partes illæ majori sensibilitate donatæ & ad inflammationem magis pronæ, difficilius vel resolutione, vel suppuratione liberantur; ipsa tandem Gangrænæ semina sæpè ulterius progressa, eò judicatu difficiliora quò partes illæ altiores infigunt radices, & solertem effugiant medentis operam. His omnibus attento animo perpensis, unius aut alterius causæ dilucidatione evidenter patebit propositionis nostræ veritas, remque demonstrabit brevis graviorum collisionum historia. (Leves enim rarissimè tanto remedio indigent.) His sapiùs læduntur omnes partes membrum constituentes, ne ossibus quidè exceptis. His contusis, sed non fractis, vasa quæ inter lamellas ossis fabricam constituentes decurrunt, vel comprimuntur, vel penitus destruuntur: tunc hæ lamellæ influxu vitali deorbatae necessariò separari debent. Disruptis tenerrimis vasis succum medullarem vehentibus, oleum istud rancidum fit, & acrimoniam acquirendo os totum cariosum reddit. Felix sanè, qui reliquis partibus aut sanis, aut ad sanitatem restitutis, tam gravibus affectibus sapiùsque immedicabilibus certam amputatione medelam afferet. Sed & non minùs portentosa post se trahere alias partes collisas phænomena, edocebit eorum natura, positio, & observatio. Periosteum, membranas, nervorum, tendinum, vasorumque vaginas exquisitissimo sensu donari probat eorum textura. Fibris enim innumeris vario ordine positis, & arctissimè unitis conflantur, quarum nulla fieri potest divulsio aut dilaceratio sine atrocissimo dolore: Vasis præterea omnis generis irrorantur, in quibus eò difficilior est resolutio, vel suppuratio, quò tenuiora sunt & magis contracta. His duar-

bus de causis adaugetur obstructio, propagatur inflammatio. Partes illæ præterea, vel ossa immediatè involvunt, vel juxta ea repunt; vel tandem plerisque si non omnes partis musculos, & unamquamque fibram involvendo, à trunci infimâ parte ad pedem usquè perreperè & cum aliis communicare, demonstrat Anatome, uti v. g. in fasciâ latâ. Non mirum igitur si hiscè contusis, aut vulneratis, partes à loco læso maximè dissitas suffocatas fuisse observatum fuerit. Nec his effectibus repugnat aliarum causarum, phenomenorum-
vè explicatio. Ex his celebrandæ iterùm amputationis diram necessitatem argue. Quis igitur his ritè pensitatis, pustulam ichore flavo, vel subrubello plenam, solum panniculum adiposum occupantem, sedionis locum assignare auit? Nec vanæ considerationis sunt, Gangrænæ semina quæ non penitus ablata fuerunt, aut magnæ suppurationes, tristes reliquæ inflammationis non sedatæ, quæ partis cæsæ carnes depascendo, ossis extremitatem denudant. Factâ in ambitu partis sphacelo correptæ suppuratione, tot adversorum casuum metus evanescit. Prudenter igitur naturæ edocenti obtemperemus, divitiisque artis cautè opitulemur, ne curatio vulneris gravior ipso vulnere fiat.

I V.

CELERITAS quâ serpens Gangrænâ vicinas partes labe suâ inficit, naturalis horror à destructâ parte proveniens, non mirum si olim ægrum & medentem pari formidine perculsos consilii inopes fecerint. Hinc temerè & inconsultè instituta operatio: Hinc tandiù neglectæ notiones quæ ex repetitis observationibus & naturæ consideratione ultrò decurrebant. Multa tamen apud Autores prostant exempla partium vitæ redditarum quas Gangrænâ jam occupaverat. Boherravius talem casum narrabat auditoribus suis (a). Chirurgus non infimæ n. n.æ ad vitam revocavit brachium ab ictu baculi penè emortuum (b). In operationibus Bubonocèles quid vulgariùs quàm intestinum lividum aspectuque fœdum, tamèn in proprias sedes repositum, revalescere? Non minùs constat ex plurimis observationibus, solius vi naturæ partes sphacelo sideratas à vivis separatas fuisse. Sic artus ab urenti frigore Gangrænâ correptos spontè separari vident hyperboreæ Gentes. Sic homini bonæ temperiei in parte mediâ interna & inferiori brachii dextri vulnerato, brevi postea cubitus sideratus apparuit, totaque pars interna brachii usquè ad distantiam quatuor digitorum tranversorum ab axillâ nudata, cum aliis partibus corruptis secessisset (c). Talia benè multa legere est apud innumeros auctores (d). Quis post tot observationes desperet, si arti vis naturæ uniatur, exoptandum finem attingi posse? Feret omne punctum, qui in his potissimum duobus sedulò immorabitur: vel partem emorientem ad vitam revocare tentabit; vel si planè sit curationis exspes, conclamatam à sincerâ rescindet. In primo casu duo indicantur: 1°. Operæ pretium est inflammationi obstare, procùl amovendo quæcumque illam fovere possunt, v. g. corporum externorum, si quæ sint, extractione, sedando sanguinis impetum, nimis æstuantem compescendo, debitam liquidis fluiditatem conciliando, exlegem solidorum tensionem minuendo, partes tandem constrictione suffocatas relaxando. 2°. Partes languidas refocillare & ferè extinctam in parte vim vitæ revocare opus est, humorumque stagnantium corruptio præcavenda. Hæc omnia præstant, pro re natâ plùs aut minùs iteratæ sanguinis missiones, diluentia interna, medicamenta antiphlogistica, non neglectis circum fomentis modò emollientibus, modò spirituosis & solventibus, modò tandem partes quasi constrictione strangulatæ scalpello solvantur. In altero casu, si morbus ultimum gradum attigerit, Medicina spem vetat abjicere omnem. Tunc in eo totus cardo versatur, ut pars emortua à vivâ separetur. Mutuam autem cohesionem dirumpere nil efficacius valebit quàm inducta conterminis partibus suppuratio. Cum enim suppuratio sit inflammationis terminus præ gangrænâ exoptandus, eo ducere oportet viciniam partis sideratæ. Si vigeat igitur inflammatio, prædictis auxiliis minuenda, aut si langueat, excitanda; tuncque juvant tonica, cardiaca, & mira præstat internus Kinakinæ usus.

V.

AMPUTATIONEM determinavit ab omni ævo inducta opinio succorum gangrænâ infectorum præsentia, pari labe vicinas partes immediatè infici. Sed vanum terrorem arguit deductum ex ipsius rei naturâ ratiocinium. Vitiatos & quantumlibet pu-

(a) Va
viet. Co
ment. in A
338. p. 55

(b) La M
otte, Tom. I
p. 40.

(c) Duv
nai, in A
tis Acad.
Scient. an
1702.

(d) V
Bellotte, C
rurg. d'1
pi. cap.
pag. 282.
Motte, T.
III. p. 36.

tres succos vicinis partibus gangrænam adducere quis putet, nisi in sanas carnes irrepant, sincerisque humoribus immisceantur? At verò quid fiet? Si putridi succi datâ portâ foràs liberè diffuant, ut accidit naturæ beneficio, sacrficationum ope, quarum tunc mirabilis effectus modo ad vivum usque non producantur. Item si vigeant carnes vicinæ, & quasi injectis catenis, vis eorum tonica omnem malo aditum præcludat. Tunc gangrænæ levis erit actio in partes vicinas, tunc graves eò recident minæ ut suppuratione excipienda enascatur inflammatio. Hujus beneficio magis adhuc excitata partium vis tonica quâ pus extrorsum pellitur, eo ipso cum gangrænæ omne vetabit commercium. Non jam putribus succis labem intrò ferre licebit in partes quarum nullus dabitur contactus, sicque æger tutus erit ab ulteriùs progredientis gangrænæ periculo. Nec dicant ex partis sphacelo correptæ infesto odore grave periculum aut ipsam mortem ægro imminere, dùm expectat tardè festinantem suppurationis operam. Cùm enim partes fideratæ sint vitæ prorsus inutiles, imò noxiæ, nihil vetat partis conclamata portionem maximam ferro abscindere: superstitem contegant lintea spiritu vini madida, sicque evanescit periculum. Ast objicient moram temporis elapsi, antequàm optata maturescat suppuratio: sed frustra; si certiozem detur ex ipsâ morâ spes salutis concipere. Et reverà quidè, quæ prius inculcata erat humorum crasis per morbi decursum debuit vitari, aut saltè à recto paulum deflectere & immutari ab atrocitate dolorum, somni & quietis defectu, febris excandescentiâ, diversis tandè morbi symptomatis & effectibus. Frustrà enim bonum speraveris operationis eventum, antequàm diætâ convenienti & analepticâ suæ reddantur humoribus dotes balsamicæ. Hæc omnia requisita cùm præstitit Medicus sat citò operationem præcipit, Chirurgus tutiùs operatur, æger tandem confidentiùs necessariæ operationi sese committit, & funerata sui ipsius parti superstes redditur.

Ergò quamdiù serpit Gangraena, etiàm à causis externis, amputatio non tentanda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus Alexander
CEZAN.

M. Joannes-Baptista LAN-
GLOIS.

M. Henricus RAYMOND.

M. Carolus-Nicolaus d'ESLON.

M. Andreas-Blasius PELEE DE
VALONCOURT, Regia Socie-
tatis Agraria in Præfectura
Parisiensi Socius.

M. Antonius-Joannes-Baptista-
MACLOVINUS GUENET.

M. Stephanus POURFOUR DU
PETIT.

M. Paschasius BORIE.

M. Florentius-Carolus BEL-
LOT, Professor Regius.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA-EUGENIA DUMANGIN, Castro-Theo-
doricus, Doctor Medicus Bisuntinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis
Baccalaureus. A. R. S. H. 1768. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facult. Medic. Typographi, 1768.